



III, 50.

250.

III, 50.



5

IN
EXCESSVM LVCTVOSISSIMVM
SERENISSIMÆ PRINCIPIS AC DNÆ
DNÆ. SOPHIÆ
AUGUSTÆ,
PRINCIPIS ANHALTINÆ,
NATÆ DVCIS SCHLESVICENSIS, HOL-
SATICÆ, STORMARIÆ ATQ; DITHMARSLE, COMI-
TIS ASCANIÆ, OLDENBURGI ET DELMENHORSTI, DOMINÆ
SERVESTÆ, BERNBURGI, JEVERÆ ET KNIPHUSII
&c. &c.

DOMINÆ QVONDAM NOSTRÆ
CLEMENTISSIMÆ

A. C. cIo Ioc LXXXI. SEXTO IDVS FEBRVARIAS
MAGNO CVM PRINCIPATVS TRANS-ALBINI DOLORE
TVMVLIS ASCANIIS
IN TEMPLO ARCIS AD D. BARTHOL. SERVESTÆ
FERALI POMPA INFERENDÆ

Programma

IN. ILLVST. GYMNASIO ANHALTINO N. E. L. P. P.

SERVESTÆ,
TYPIS JOACH. PALMEN. TYP. AVL.

PRO-RECTOR
ET
PROFESSORES PVBL.
ILLUSTRIS GYMNASII ANHALTINI IN
PERVETUSTA SORABORUM METROPOLI
SERVESTA

STVDIOSIS CIVIBVS

S. D. P.



Onfecerat sol moderator & dux temporum orbem suum, & ad sidus brumale accedens inde sensim coepit adscendere, ut conversione stata non repeteret solum anniversariarum vicissitudinum ordinem perpetuum, sed praeterea conciliaret hominibus, in pari-
li alias varietate, disparilem jucunditatem & salubritatem, quas om-
nis boni causa moratas gentes, jam ab ultima antiquitate, ad avum us-
que praesens, singulari refectione, prudenter distinxisse novimus. At-
que nunc existimabamus, gloriosa Servatoris nostri Natalitia, quae a-
derant, maxime liberali animo celebranda fore; cum ob sublatum di-
rae luis metum, quae tristi contagio viciniam late venenarat, tum ob
tutatum imperio felicissimo Serenissimorum Principum nostrorum
tranquillitatem vitae latioris publicam, in cuius perfugio, vel inprimis
Musas nostras, salutis suae praesidium firmissimum recte sibi collocare,
penitus nobis persuademus. Sed quam cito istam opinionem, ex par-
te, fefellerit alius improvisus atque luctuosus casus, apud omnes usque
adeo velociter increbuit, ut ne unum subditorum ille amplius lateat.
Terris lenim Patriis pruinarum hybernarum primitiis vix obrigenti-
bus, tanta vis acerbitatis humanae simul impendit, qua periculum fuit,
ne commutatione repentina, vehementique dolore, cum bonis opti-
mus quisque, & vel Celsissima Principalis Aula Servestana, facile op-
primeretur. O incertas hominum spes! O fragilem caducamque
mortalium sortem & conditionem! Scilicet arx nova Cosvigiensis
splendidissima, funus sive primum sive novum aequae splendidum
instructura, extulit ipsam instaurationis suae Auctorem Laudatissimam,
Serenissimam Principem & Dominam, Dominam **SOPHLAM**
AVGVSTAM, Principem Anhaltinam, Ducem Natam Slesvici,
Holfatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, Comitem Ascaniae, Oldenburgi &
Delmenhorsti, Dominam Servestae, Bernburgi, Jeverae & Kniphusii, &c.
Principem nostram, dum viveret, clementissimam, tot semper vocibus
expetitam, tot sustentatam desideriiis, ut ad summam prorsus senectute
produxisset aetatem, bona Principe dignissimam, sin ardentissimis votis,
ultima adhuc celebritate sua genethliaca, paucis diebus ante emortua-
lem, religiose factis, supremus rerum arbiter libenter annuisset. Placuit
autem

autem Domino, destinationum istarum cursum longe alio conver-
tere, ampleque satis nuncupatas beatitudines civiles arctius contrahe-
re, ac in luctuosam quasi epitomam tandem redigere, cum pientissi-
ma Princeps, ob curas diviniorez semper fixas, Heroicæque beneficen-
tiæ studium incredibile, præmiis postremo esset donanda divinissi-
mis, atque ex amœno sane & belle ædificato, in orbe inferiori, domi-
cilio terrestri, transmittenda in sempiternam beatorum sedem, quæ
sursum est, in illam civitatem cœlestem, quam tot flumina se curæ
αὐτοπραίας æternum exhilarant ac cingunt. Itaque anhelans Princeps
sollicita, ex intimo pectore, bonum optabile perfecte summum, ipsa
pridem brevissima die abire maluit, ut paucis comprehensa summa
omnis mundani negotii expeditionem haberet paratissimam, & celeri
profectione noctem mortis longissimam antevertura, puncto tem-
poris usurpationem gloriæ nunquā terminandæ, in ævi alterius perenni
felicitate, ocyus assequeretur. Fine anni solaris, frigido ubique cœ-
lo, affecta semper teneriter Princeps Mater, placide exclusit fervidio-
ris alias φιλοσοφίας sensum, ab extremo dulcissimorum & sibi simili-
um, Liberum Serenissimorum complexu, ut intra flagrantissimum u-
nice dilecti Servatoris JESU Christi amplexum maturius veniret, &
concordi charitate à Sacro Sancto Numine excepta, cum beatis Spiri-
bus, in solida cognitione Patris luminum, ejusque effulgentia & a-
mabili delectatione, nullis unquam mutationibus obnoxia, sine fine
acquiesceret. Reliquit post se, immensis intervallis, gradum imperio-
sæ dignitatis excelsum, cæterasque vanitatis opulentias liberaliter
rejecit, ut cœlis conscensis eminentissimam τὴν τῆς δόξης κληρονομίαν
ἀφθαρτὸν καὶ ἀμίαντον gratiose protinus adiret. Cæterum sicut quæ-
dam res è longinquo rectius videntur, & speciosiores apparent, quam
propinqua: Ita etiam plerumque se habet cum eo, quod illustri præ-
cipue est virtutis; nec ejus cupiditas & admiratio magis ferit animos
nostros, quam ubi Deo visum fuit, illam sibi jungere propius, & hu-
manis usibus omnino eximere. At v. idem cum in præsentiarum no-
bis parum fauste evenerit, haud equidem ignoramus, quæ in Dive
nostra Principe, nihil adversi diu opinati, subito amiserimus: Nihilo
tamen quoque minus verba desunt meritis ejus ingentibus, nec se
potest explicare mens, communi mœrore circumfusa & exercita. I-
gitur satius nobis fuerit angusto lugubris silentii officio venerari θεός
manes, quam illis sermone incondito multum obstrepere. In ve-
stram autem gratiam, Cives, istud solummodo adjiciendum putamus,
quod exuviis Principalibus, luctu publico propediem tumu-
landis, à Vobis quoque in significationem συμπραξίας & obsequii
justissimi, humillime deberi, nemo non Vestrum, ex munere & insti-
tuto, ultro intelligit, ut ordinem literarium, quantum in se est, suo
insuper exemplo, egregie commendet. Maxime cum hoc ipsum fieri,
speciali mandato clementissimo, velit ac jubeat Serenissimus Princeps
ac Dominus, Dominus **CAROLUS VVILHELMUS**, Princeps
Anhaltinus, Comes Ascaniæ, Dominus Servedæ, Bernburgi, Jeveræ
& Kniphuisij &c. Dominus & Patronus noster Clementissimus, Geni-
trici

trici Dilectissimæ optimeque meritæ ad d. 28. Febr. anni currentis magnificas paraturus exsequias, & tanta Principe dignas, pro auctoritate, à Serenissimis Nutritoribus, nobis benigne impertita, ex tabula publica, mœstam vobis religionem indicere, imperat officii & mortalitatis ubique verenda conditio. Atque sic porro edicimus, ut circa perendini horam quartam pomeridianam, frequentes universi & singuli, quotquot jurisdictioni nostræ subjecti estis, in Illustri Collegio Anhaltino, habitu, gestu & Affectu lugubri compareatis, inde Nobiscum extra portam, cum vicino Clostro, B. Virgini quondam dedicato, nomen commune habentem, ad usque cœmeterium, obviam processuri Illustrissimo Funeri, quod Cosvvgia tum Servestam veniet, & in communi deinceps Principatus trans-Albini & amplissimæ hujus Urbis luctu, ad inclytam Arcem, pompa spectabili deducetur, ut eadem adhuc feria, hora 8. vespertina, in Æde Bartholomæana, tumbis Ascaniis, pie inferatur, ac in spem resurrectionis futuræ, velut sacrum depositum, religiose servetur. Quemadmodum vero, si non ad eruditionis sublimitatem, certe ad sublimem ac eruditam virtutem, præclare comparandam, insigniter facit, fugacem humanitatis vicem è sepulchris Heroum eruere, pulchraque Illustriorum facinora, in admirandis eorundem fatis, meditare cognoscere: Ita nulli dubitamus, quin Vos, Cives, tam memorabili fortuna ejus diei moniti, his cogitationibus sponte Vestra detineri velit, quæ convenientes ubique erunt tempori, loco, cæterisque sacris peragendis, denique ipsam doctrinam Christianam, & prædicandam morum probitatem fideliter adæquabunt. Interim Deum O.M, junctis animis, & voce supplici obtestabimur, ut, quos concessit nobis Principes superstites, pios, justos, clementes, cum universa Domo Principali Anhaltina Serenissima, diutissime florentes protegat & tueatur, eoque magis traditæ à Divis Parentibus Virtutes fortunatæ, infinitis Posteris, ad seculorum finem, per omnes Germaniæ oras, abunde propagentur. P. P. Servestæ Domin. Sexages. VI. Febr. A. C. MDC LXXXI.

THEOD. CHRIST. RAU MÆR.



XG 453

40

ULB Halle 3
003 905 993



SA

VD 17

Me. C.





EXCESSVM
 SERENISSIMA
 DNÆ. S
 AUG
 PRINCIPI
 NATÆ DVCIS
 SATICÆ, STORMARI
 TIS ASCANIÆ, OLDENE
 SERVESTÆ, BERN
 DOMINÆ Q
 CLE
 A. C. clo Ioc
 MAGNO CVM PRIN
 TVMV
 IN TEMPLO ARCIS
 FERALI PO
 Pro
 IN. ILLVST. GYM
 TYPIS JOAC

